MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80190-35

AUTHOR:

KRAUSE, AUGUST

TITLE:

DE SCRIBIS PUBLICIS ROMANORUM

PLACE:

MAGDEBURG

DATE:

[1858]

Master Negative #
91-80190-35

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Krause, August,
...De scribis publicis Romanorum, von Dr. Krause... Magdeburg, Heinrichshofen, [1858]
22 p. 24½ cm.

At head of title: Jahrbuch des pädagogiums zum Klostor Unser Lieben Frauen in Magdeburg. Neue fortsetzung, 22. hft., 1858. Einladungsschrift...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm
REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/17/92
INITIALS MCY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Jahrbuch des Pädagogiums

zum

Kloster Unser Lieben Frauen in Magdeburg.

Neue Fortsetzung.

Zweiundzwanzigstes Heft. 1858.

EINLADUNGSSCHRIFT

an

alle hohe Vorgesetzte, Gönner und Freunde der Anstalt

zu

der öffentlichen Classenprüfung,

am 22. und 23. März Vor- und Nachmittags,

so wie zur

Entlassungsfeierlichkeit

am 30. März, Dienstags, Abends 6 — 8 Uhr.

Der Propst und Director, Professor, D. der Theologie G. W. Müller, Ritter des rothen Adler-Ordens Cl. IV., und das Lehrercollegium.

INHALT.

MAGDEBURG.
Bei Wilhelm Heinrichshofen.

De scribis publicis Romanorum.

Pars prior.

Cap. I.
De scribis generatim agitur.

Scribae apud veteres Romanos generatim sunt atque universe appellati ii omnes, qui quum litteris aut notis res, cuicuimodi erant, scribebant aut scriptas transscribebant, quae ad usum vitae pertinerent, sibi acquirebant. Atque universum eorum genus in partes divisum fuit duas, quarum alteri scribis nomen est publicis, alteri privatis. Privati autem scribae, quorum paucis mentionem in hoc libello licet fieri, fuerunt qui privatis hominibus ita inservierunt, ut vel res litteris scriptas transcriberent, vel quae dictabantur litteris aut notis persequerentur, vel rationes in tabulas acceptorum et expensorum referrent. Qui omnes communi appellati sunt nomine *librarii.* cf. Pitisc. lex. antiq. R. v. librar. Quamquam librarii simpliciter qui dicti fuissent, eos in servorum tantum numero se inscriptos repperisse proposuit Fabretti. Inscriptt. c. III. n. 58. p. 212: qua de re infra disputabitur. Plerumque vero, maxime inscriptiones, quae dicuntur, diligenter accurateque secutus, eosdem inveneris nominatos *scribas librarios,* velut apud Gruter. Inscriptt. p. 578. n. 5.

L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS SCRIBA LIB. ET A BIBLIOTHECA LATINA APOLLINIS reliqua.

cf. ibid. p. 594. n. 3. Varron. de re rust. III, 2.

Deinde *scriptores* iidem interdum sunt dicti, ut a Cicerone in or. pro dom. c. 50: „aut si tuus scriptor in illo incendio civitatis non syngraphas*) faceret, sed vacuo animo tibi ista non scita, sed portenta conscriberet . . .“; cf. etiam Manil. astron. IV, 197. Tum nomen *scriptoris librarii* legitur apud Horat. A. P. 353:

scriptor si peccat idem librarius usque . . .

Nonnunquam denique simpliciter impositum iisdem nomen est scribis, ut a Cic. in epist. ad fam. V, 20: „ita accepi librum e meo servo scriba, ut eundem acceperim a fratre tuo.“ et ibid., paulo ante: „si M. Tullius scriba meus adesset.“ Cf. etiam Cornel. Nep. Eumen. c. 1. De privatis autem scribis vid. J. Andreae Eschenbach. de scribis veterum Romanor. dissert., quae est in Polen. thes. antiq. Rom. et Graec. III. Laurent. Pignor. Patav. de servis et eorum apud veteres ministeriis, quae invenitur in eod. thes. III, p. 1200 sqq. Tit. Popm. Phrys. de operis servor. dis. ibid. III. p. 1324 sq. p. 1341 sq. Schoettgen. de librariis et bibliopolis ibid. III, pp. 836 — 850. Pollet. histor. for. R. V. c. 12. ibid. I, pp. 632 sqq. p. 1107. Barison. de archiv. ibid. I, p. 1120. Sam. Pitisc. lex. antiq. R. Herm. Hugon. de prima scribendi origine libri, edit. a Trotz. pp. 501 sqq. Mommsen. disp. in Mus. Rhen. 1846. V, 3. p. 463.

*) Ernesti: syngraphae, inquit, litterae, quibus creditor sibi cavet a debitore, ut possit docere, sibi pecuniam ab eo deberi, si forte infitiari velit, eaeque a testibus obsignatae in templis aut apud amicum communem aut apud argentarium deponuntur, exemplis earum creditori et debitori datis. Vid. clav. Cic. v. syngraph.

Contra *publici* fuerunt ii scribae, qui publice scribendi munus sustinentes apparuerunt magistratibus mercedemque acceperunt ex aerario publico. Qui quidem omnibus fere sunt temporibus generatim dicti scribae ac posteriore demum aetate videntur iidem coepti esse appellari scribae librarii. Cf. Fest. de verbor. significat. p. 333 (ed. a Muellero cur.) v. scribae: „scribas proprio nomine antiqui, et librarios et poëtas vocabant; at nunc dicuntur scribae quidem librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis.“ Quo autem hi scribae functi sunt munere, scriptus is dictus est, postea scribatus. Cf. Pitisc. lex. v. scrib.: unde ipsi scribae scriptum facere i. e. scribarum munus exercere dicuntur. Vid. Liv. IX, 46: „invenio in quibusdam annalibus, quum appareret aedilibus fierique se pro tribu aedilem videret neque accipi nomen, quia scriptum faceret, tabulam posuisse et jurasse, se scriptum non facturum, quem aliquanto ante desiisse scriptum facere rel.“, quo eodem ex loco qui desierit scriptum facere, eum *ponere tabulam* esse dictum cognoscimus. Quod idem est hoc, „*scriptu se abdicare.*“ Cf. Gell. Noctt. Attic. VI, 9, 2.

Scribae igitur, quum multum inter eos et librarios interesset, ita et a scriptoribus et in inscriptionibus semper commemorati sunt, ut scribae a librariis sejungerentur; cf. Cic. orat. in Rull.: „ornat eos — XV viros dicit agris dividundis — apparitoribus scribis, librariis, praeconibus, architectis;“ et Senatus cons. quod Frontin. in lib. de aq. ductt. profert:

PLACERE SENATVI EOS QVI AQVIS PVBLICIS PRAEESSENT CVM EIVS REI CAVSA EXTRA VRBEM ESSENT LICTORES BINOS ET SERVOS PVBLICOS TERNOS . . . ET SCRIBAS ET LIBRARIOS . . . HABERE.

Ex quo hoc mihi quidem videtur effici, praeter scribas publicos publicum item fuisse genus quoddam librariorum atque eorum quidem leges fuisse et alia instrumenta describere eorumque multa conficere exempla testatur Cicero in orat. de leg. agr. ad pop. c. 5. extr.: „aliquando tandem me designato lex in publicum proponitur. Concurrunt jussu meo plures uno tempore librarii: descriptam legem ad me adferunt“; de legg. III, c. 20: „legum custodiam nullam habemus. Itaque hae leges sunt, quas apparitores volunt: a librariis petimus, publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus“; pro Sulla c. 15: „quum scirem ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen custodia more majorum continerentur, non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis, dividi passim et pervulgari, atque edi populo Romano imperavi.“ Neque tamen desunt, qui negent ex ulla parte scribas publicos a publicis librariis differre. Cf. Sigon. de antiq. jur. pop. Rom. I. lib. II, c. 9. Pauly. Real-Encyclop. der classisch. Alterthumswiss. v. scribae.

Deinde in nonnullis inscriptionibus publici scribae iidem nominantur scribae librarii: quarum tres sunt apud Gruter. p. 626. n. 7; p. 627. n. 7; p. 1103. n. 1. Vid. etiam Fabretti. inscriptt. c. x. p. 719. Librarios denique, omisso scribarum nomine, dictos inveni equidem solos eos, qui scriptum fecerunt apud exercitus, ut apud Reines. inscr. cl. VIII. n. 44 haec leguntur verba:

D. M.
M. VALERIVS. DEXTER. LIB.
NEPTVNIO MANIPVLARIS
L. CALVISIVS. CEREALIS IIII.
DACI COHERES.

cf. etiam Grut. p. 415. n. 10.

LIBRARIVS A RATIONIBVS.

Tertiam invenies inscriptionem a Stevech. ad Veget. II, 10 explicatam; cf. etiam Fabretti.

syntagm. de Col. Traj. cap. I. p. 37, ubi librarius quidam centuriae commemoratur; et ejusd. inscriptt. c. III. n. 58. p. 212.

Improbanda est autem Trotzii sententia, qui quum Cicero in or. pro Mur. c. 9. hoc dicat: „Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam sollicitudinis ac stomachi, sequutus est,“ militiam urbanam eosdem scribas nominatos esse censet. Nam jurisconsultos homines, non scribas publicos illo loco intellectos velle Ciceronem satis est perspicuum. Duas enim ille quum in republica dicat artes esse principes, unam imperatoris, alteram oratoris boni, hanc jocose tamquam appellat urbanam militiam. Cf. Manut. et Graev. ad h. l. Victor. et Manut. ad famil. VII, 14. Gronov. de sestert. p. 644.

Postremo imperatorum temporibus negotiis forensibus in dies magis magisque adauctis et commutatis, pro negotiorum varietate item scribarum ordo et vitae condicio ita commutata sunt, ut nova permulta eademque varia iis imponerentur nomina: quorum magnam copiam profert Trotz. in illo libro, quem supra commemoravi. (p. 514 — p. 551.)

Cap. II.

De scribarum publicorum loco et dignitate agitur.

Quem locum scribae publici apud veteres Romanos obtinuerint atque qua auctoritate et dignitate et potestate praediti fuerint, hoc varie est ac diverse a viris doctis judicatum. Fuerunt enim, qui inhonestum et prope sordidum fuisse eorum locum existimarent, velut Ferrar. de orig. R. p. 14. et Spanhem. de usu et praestantia num. I, p. 705. E contrario nonnulli sunt exorti, qui sic censerent, ut magna fuisse eos dicerent et dignitate et auctoritate: quo in numero Trotz. inprimis est habendus et Guther (cf. de jure Pontiff. II. c. 13) et Hottoman. (ad Cic. orat. in Verr. III, 79.). Sunt denique multi, qui quum neutris illorum assentiantur, ipsi tamen certo et definito mihi quidem non videantur hac de re judicare judicio. Cf. Eschenbach. de scrib. veter. Rom. et Sigon. de antiq. jur. pop. Rom. T. I. lib. II. c. 9. et Ernest. clav. Cic. v. scrib. Quod quum ita esset, eadem re in disceptationem quaestionemque vocata, quid statuendum censeremus, hoc nobis loco visum est proferre.

§. 1.

Utrum etiam antiquissimis apud Romanos temporibus, quum penes unum omnium summa erat rerum, scribae publici fuerint necne, aut, si fuerint, quae eorum fuerint munera ac dignitas, hoc parum constat. De ea enim re a nullo vetere scriptore liquido dictum est: quamquam etiam tum quin fuerint scribae aliquot, ecquis est, qui dubitandum esse arbitretur? Tametsi, utcunque res se habet, tamen levitatis videtur esse, ex Etruscis, quod apud illos*) scribarum ordo magno fuerit honore ac dignitate, ob eam causam de populo Romano hanc conjecturam facere, ut apud Romanorum reges in eodem similive honore fuisse scribas proponatur. Quapropter parum recte Trotz. p. 451: „Etruscis itaque in honore fuisse scribas aperte Livius, et sic dubio procul apud ipsos Romanorum reges scribatus quondam fuit dignitas et honos. Nec mirum, quia consiliorum debebant esse conscii et arcanorum custodes fidelissimi, quae sane virum gravem, prudentem inque rerum argumentis versatissimum flagitabant.“ Quam conjecturam eo minus licet comprobari, quod ipse Etruscus ille scriba ut pari fere

*) Id quod Livius his verbis comprobare videtur II. c. 12: „ibi quum stipendium forte militibus daretur et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eum milites vulgo adirent, timens sciscitari, uter Porsena esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat.“ —

ornatu cum rege sederet, consuetudinis fuerit an sola in illa pugna ob singularem quandam causam acciderit, ex Livianis illis verbis non est perspicuum. Quo accedit, quod ea, quam Livius enarrat, res non satis constat.

§. 2.

Sed regibus urbe Roma expulsis populum Romanum scribis usum esse publicis inter omnes constat. Ac tum quidem homines de plebe, sive illi erant ingenui, sive libertinorum filii, in scriptum faciendum incumbebant. Cf. Liv. XL. c. 29: „scriba tribunos plebis adit; ab tribunis ad senatum res est rejecta“: quibus hoc verbis etsi non disserte ac distincte dictum est, tamen de plebe homo ut intelligatur, haud dubie efficitur eo, quod Petillius ille scriba, quum a magistratu quodam injuste esset in eum animadversum, adiit tribunos plebis, quippe quorum esset plebem a magistratuum maxime defendere injuriis. Vid. etiam Cic. Catil. IV. 7: „convenisse video scribas universos . . . omnis ingenuorum adest multitudo, etiam tennissimorum.“ Hic enim Cicero omnes eos ordines, qui antea sunt ab eo commemorati, quo in numero scribae quoque sunt, quum eodem complectatur vocabulo ingenuorum, ingenuum necesse est scribarum tum quidem fuisse ordinem. Cf. Liv. IX. c. 46: „eodem anno Cn. Flavius Cn. filius scriba, patre libertino, humili fortuna ortus.“ Imperatorum vero aetate permultos, infimo loco natos, quum apparitorum, tum scribarum munere perfunctos esse constat ex Tacit. annal. XIII. c. 27: „hinc — libertinos dicit — plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas“: quod tamen despicatui minime scribarum est ordini ducendum. Nam illo id tempore facile fieri potuit propterea, quod ingenuos homines et libertinos, quo ante separati a sese fuissent discrimine, eodem tum jam non fuisse separatos ex iis verbis, quae apud eundem Tacitum leguntur, luculenter elucet. Is enim in eodem illo capite pergit sic: „et plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi. Si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum.“ Cf. etiam Suet. Claud. c. 24. et schol. ad Juvenal. sat. v, 3: „Sarmentus natione Tuscus, incertum libertus an servus . . . . decuriam quoque quaestoriam comparavit.“ Neque vero ullo pacto licere dubitari, quin libertinus Sarmentus ille fuerit, hoc patet in promptuque est omnibus ex Horat. satir. I, 5, 54 sqq. Quo eodem tempore ipsorum equitum fuisse nonnullos in scribarum numero praeclare docet Plin. H. N. XXVI, 1 his verbis: „non fuerat haec lues apud majores patresque nostros. Et primum Tiberii Claudii Caesaris principatu medio irrepsit in Italiam, quodam Perusino equite Romano, quaestorio scriba, quum in Asia apparuisset, inde contagionem ejus importante.“ Vid. etiam Fabrett. inscr. cap. VI. p. 456:

PAL-
MYRONI EQVITI ROMANO DECVRI-
ALI SCRIBARVM AEDILIVM
CVRVLIVM.

ibid. cap. VI. p. 458:

D. M.
C. IVL. IVSTI. EQ. R.
SCRIBAE DECVR. AEDILIC. MAI.

At vero prorsus aliter statuit de ea re ac judicavit Hottoman., qui propter ea verba, quae apud Ciceron. inveniuntur in or. Verr. III, 79., homines de equestri ordine ad unum omnes fuisse scribas Romanorum censet. Leguntur enim apud Ciceronem haec verba: „eos scribas tecum disceptatores hujus criminis habebo, qui istos scribas esse moleste ferunt.“ Quae

quidem verba sic intellecta voluit vir ille doctissimus, ut scribas, quasi homines fuissent de equestri ordine, inter equites una cum senatoribus ac tribunis aerariis de peculatu judicasse diceret. Sed hoc minus recte proposuit. Nam primum nusquam judices publicos inveni equidem eosdem disceptatores dictos (cf. Ern. clav. Cic. v. discept.); deinde vero ex iis ipsis verbis, quae paulo ante apud eundem exstant Ciceronem, non judices, qui quaestione instituta de peculatu judicaverint, hic intelligendos esse mihi quidem satis est persuasum, sed Ciceronem illos scribas, quos, quum unus ex eorum ordine causam diceret, frequentes convenisse in judicium videbat, allocutus quasi est ad eosque provocans quodammodo ex iis quaesivit, de eo, qui accusatus esset, nonne idem atque ipse judicaret, et sentirent et judicarent. Quam eandem ob causam non ad unum omnes, sed optimum quemque ejus ordinis ac dignissimum alloqui se ait his verbis: „ad eos me scribas revoca, si placet: noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum bonis ac de scenicorum corollariis, quum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt.“, et paulo ante: „itaque ex his scribis, qui digni sunt illo ordine, viris bonis atque honestis, percontamini, quid sibi istae quinquagesimae velint.“ Quid vero, judices si fuissent scribae, de eo ordine, quos potissimum de illo crimine judicare vellet, num suo arbitratu Ciceroni licuisset deligere? Tum nullus omnino apud veteres est scriptores locus, qui scribas unquam in judicum fuisse numero edoceat. Gravissima denique omnium, cur assentiri viro illi doctissimo non liceat, haec videtur esse causa, quod ipse Cicero fuisse ait aliquod inter equitum et scribarum ordines discrimen. In oratione enim pro dom. c. 28: „senatus, inquit ille, decrevit, ut omnes ad me unum defendendum venirent. Proximus est huic dignitati ordo equester. Omnes omnium publicanorum societates decreta fecerunt. Scribae non obscurum suum judicium esse voluerunt.“ Et idem ille Cic. in orat. Catil. IV, 7: „quid ego, inquit, hic equites Romanos commemorem? pari studio defendendae reipublicae convenisse video tribunos aerarios, scribas item universos.“ Ac profecto vel imperatorum aetate nonnulla remansisse ejus, quod inter utrumque hunc ordinem ante fuerit, discriminis vestigia quum ex aliis permultis argumentis, quae singillatim hic enarrare longum est, tum ex iis, quae schol. ad Juvenal. sat. V, 3 annotavit, bene cognoscitur. Hic enim annotavit haec: „Sarmentus, natione Tuscus, incertum libertus an servus, plurimis forma et urbanitate promeritis eo fiduciae venit, ut per equitem Romanum (Pithoeus „*pro*“) ageret: decuriam quoque quaestoriam compararet . . . . dum ut causam usurpatae dignitatis hic pro civibus et gratia summoto accusatore dimissus est rel.“ Verbis autem „*usurpatae dignitatis*“ dignitas sine dubio significatur equestris ordinis, quam Sarmentus ille, in scribarum receptus ordinem, quum nimia cum honoris aviditate affectaret, vel equitis personam sustinere studuit. Quo quidem interfuisse etiamtum aliquid inter scribarum et equitum ordines adducor equidem ut existimem.

Jam vero, quem in civitate locum scribarum ordo obtinuerit, necesse videtur esse inquiramus.

Veteres scriptores, qui hujus rei mentionem fecerunt, uno omnes ore consentiunt in eo, quod apparitorum in numero fuisse magistratibusque publice apparuisse scribas publicos tradiderunt. Ut Cicero in orat. Verr. III. c. 78: „tuus, inquit, apparitor — scribam dicit — de aratorum bonis praedabitur.“ ibid. c. 79: „quamobrem enim scriba deducat et non potius mulio, qui advexit, tabellarius, cujus adventu certiores facti petiverunt? praeco, qui adire jussit? viator aut Venerius, qui fiscum sustulit?“ or. Rull. II, nescio quo in capite: „ornat eos apparitoribus scribis, librariis, praeconibus, architectis rel.“ Nihil igitur est causae, cur scribis potissimum praeter ceteros apparitores praecipui quidquam datum fuisse censeamus. Quam eandem rem exquisita ratione confirmat Plutarch. in vita Caton. min.

c. XVI, ubi haec verba sunt: *ὑπηρέταις, ὅπερ ἦσαν, ἠξίου χρῆσθαι τοῖς γραμματεῦσι, τὰ μὲν ἐξελέγχων κτλ.*“ Quid enim hic illa verba „*ὅπερ ἦσαν*“ nonne apertum est Plutarchum ad nullam aliam adhibere rem, nisi ad proprium scribarum locum ac dignitatem ita definiendam et describendam, ut, quae ea fuerit, prorsus dilucide et recte possit intelligi? In latino sermone certe similiter dici solet „sicut est“, velut apud Ciceronem div. VII, 32 hoc legitur: „illa, quamvis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non moverunt.“ cf. etiam Cornel. Nep. vit. Eum. c. 1: „itaque eum habuit ad manum scribae loco, quod multo apud Grajos honorificentius est quam apud Romanos. Namque apud nos re vera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur.“ Quum enim causis quibusdam factum esset, ut scribae nimium assumentes sibi inanis arrogantiae causa dignitatem appeterent alienam, M. Porcius Cato minor, fortissimus ille vir ac dignissimus, qua fide erat et religione, assidue dedit operam, ut nimis redundantes eos et superfluentes insolenti quadam licentia et arrogantia reprimeret et quasi extra ripas diffluentes coerceret. At sunt, quae non apparitoribus annumerandos esse scribas auctore ipso Plutarcho efficere videantur. Idem enim Plutarchus in eodem capite paulo ante: „*μεγάλην*, inquit, *ἐποίησε μεταβολὴν τῶν περὶ τὸ ταμιεῖον ὑπηρετῶν καὶ γραμματέων· οἳ διὰ χειρὸς ἀεὶ τὰ δημόσια γράμματα καὶ τοὺς νόμους ἔχοντες κτλ.*“ Sed accuratius eo loco diligentiusque observato atque expenso solis de scribis locutum esse Plutarchum intelligemus. Deinde *καί*, qua particula juncta inter se videmus *ὑπηρετῶν* et *γραμματέων*, non eam hoc loco habet vim, ut novi aut diversi quidquam ea ad *ὑπηρετῶν* adjungatur, immo potius eo consilio Plutarchus illa est particula usus, ut, quum varia vocabuli *ὑπηρ.* esset vis, ita eam definiret, ut hoc loco ejus quae potissimum esset significatio, disserte atque aperte patefaceret. cf. Thucyd. VII, 48: „*τῶν τε παρόντων στρατιωτῶν πολλοὺς καὶ τοὺς πλείους ἔφη κτλ.*“ et ejusd. lib. in cap. 68: „*ὡς δὲ ἐχθροὶ καὶ ἔχθιστοι, πάντες ἴστε, οἵ γε ἐπὶ τὴν ἡμετέραν ἦλθον δουλωσόμενοι κτλ.*“ Vid. Krüg. Griech. Sprachlehre §. 69, 32. an. 2.: „zuweilen fügt *καί* dem Ganzen einen Theil oder dem Theil das Ganze bei.“ Matthiae. m. gr. §. 620. *καί*. d. „es dient auch zur Erklärung vorhergehender Worte, besonders wenn es diesen etwas stärkeres hinzufügt, wo wir „*und zwar*“ gebrauchen.“ Passov. lexic. v. *καί* II. p. 1539 et p. 1540. Quam eandem illo loco in partic. *καί* inesse vim, multo etiam magis videtur confirmari eo, quod de ceteris apparitoribus nihil omnino quum eo loco commemoratum esse videamus, solos ad scribas quod subsequitur pronomen relat. *οἵ* referri potest.

Omnium vero apparitorum scribae publici locum obtinuerunt primum, atque adeo honestus is ordo ab omnibus et habitus est et appellatus: quem honorem ceteris apparitoribus non audivimus esse datum nec legimus. Vid. Cic. Verr. III, 79: „quae pars operae aut opportunitatis in scriba est . . . ordo est honestus. Quis negat? est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur.“ Quibus iisdem ex verbis, cur scribae habiti sint honesti, intelligitur. Animadvertendum est autem, ut honoris causa honestos appellatos eos esse dicamus ob eamque causam caveamus, ne ad auctoritatem aut ad potestatem illud vocabulum, propria vi omissa, transferamus. Recte igitur Barthius vel vocem HON. nominibus scribarum in inscriptionibus se additam legisse ait*) eamque nihil significare nisi existimationem eorum judicat. cf. etiam Grut. Inscript. p. 267. n. 6:

D. M. M. ATINIO. AEL. F. PAL. PATERNO SCRIBAE AEDILI CVRVLI
HON. VSVS AB IMP. EQVO PVBLICO HONOR. PRAET. CON. II
BRACHAR. AVGVSTAN. TRIB. MIL. LEG. X.

Item a veteribus scriptoribus scribarum ordinis ubicunque mentio fit, ea sic maxime fieri solet, ut non ita exiguum in civitate tributum iis esse honorem cognoscamus: velut Cicero

*) cf. ej. adversar. lib. 50.

in or. Catil. IV, 7. nonnullos eosque honestissimos civitatis enarrans ordines etiam scribas non solum commemorat, verum etiam, id quod magni est momenti, equitibus et tribunis aerariis commemoratis statim adjungit. Nam: „quid ego, inquit Cic., hic equites Romanos commemorem? qui vobis ita summam ordinis consiliique concedunt, ut nobiscum de amore reipublicae certent . . . Pari studio defendendae reipublicae convenisse video tribunos aerarios, fortissimos viros; scribas item universos.“ Quapropter *ad tribunos* aerarios honore proxime accessisse scribarum ordinem videtur mihi quidem jure statuisse Sigonius in eo libro, qui inscribitur de antiq. jure popul. Rom. T. I. lib. II. c. 9. Tribuni autem aerarii, praesertim quum iis una cum senatoribus et equitibus lege illa Aurelia judiciaria judicatus pateret, (Mommsen „römisch. Tribun.“ p. 44) quanto apud omnes fuerint in honore et quanta dignitate, inter omnes constat. Comparanda sunt autem cum illis haec verba, quae sunt apud Cicer. pro dom. c. 28: „summum est consilium senatus . . . Proximus est huic dignitati ordo equester. Omnes omnium publicanorum societates decreta fecerunt . . . scribae non obscurum suum judicium decretumque esse voluerunt.“ Etiam imperatorum aetate, si non majore, pari tamen fuisse scribas in honore vel ex eo perspicitur, quod municipiorum coloniarumque primoribus et centurionibus et tribunis militum eos honore ac dignitate proximos fuisse testari videtur et Sueton. in vit. Claud. c. 1., quum dicit: „corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores suscipientibus obviis scribarum decuriis ad urbem devectum rel.“ et Dio Cass. 55, 2. p. 549 A. his verbis: „*καὶ ἀποθανόντα ἐς Ῥώμην ἐκόμισε τὰ μὲν πρῶτα μέχρι τοῦ χειμαδίου τοῦ στρατοῦ, διά τε τῶν ἑκατοντάρχων καὶ διὰ τῶν χιλιάρχων, ἐκεῖθεν διὰ τῶν καθ' ἑκάστην πόλιν πρώτων βαστάσας.*“

Ex iis igitur, quae hucusque sunt exposita, scribas manifesto compertum habemus inter apparitores obtinuisse quasi principatum. Hoc vero non rescinditur illis verbis, quae sunt apud Ciceronem in or. Verr. III, c. 79: „quamobrem enim scriba deducat rel.“ ex quo quidem loco supra diximus sine dubio effici, nihil esse, cur praecipui quidquam praeter ceteros apparitores datum scribis fuisse conjiciamus. Hic enim locus est de scribarum auctoritate et potestate, ceteri omnes de existimatione ac dignitate.

Singularis vero fuit scribarum ordo idemque honestus, cui vel jura quaedam et commoda publice data fuisse accepimus a Cicerone in or. Verr. III, c. 78: „et in hac causa scribarum ordinem in me concitabit Hortensius et eorum commoda a me labefactari atque oppugnari jura dicet?“ Sed quae ea jura et commoda fuerint, id nusquam aperte et liquido dictum reperimus. Quae tamen maxime cavendum est ne statuamus esse ea, quibus praecipui quidquam praeter ceteros concessum iis fuerit, immo esse judicare malim equidem ea, quae, quum singularis fuerit scribarum ordo, tum ex se intelligantur, tum ceteris cum ordinibus iis fuerint communia: velut factum constat esse, ut de rebus vel ad ipsorum ordinem attinentibus vel privatis judicia facerent et decreta. cf. Cic. pro dom. c. 28: „scribae non obscurum de meis in rempublicam beneficiis suum judicium decretumque esse voluerunt.“ Concessum iis item fuit, ut concilia conventusque eo haberent consilio, ut de suis rebus inter sese communicarent de iisque disceptarent atque consulerent. cf. Horat. satir. II, 6, 36 sq.

„De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.“

Sed ad rempublicam administrandam scribas nullo unquam jure quidquam valuisse, non necesse videtur permultis comprobari argumentis, quoniam vel ex eo, quod magistratibus scribae apparuerunt et inservierunt, illud plane est perspicuum. Quapropter solum hoc unum afferam. Cicero enim in orat. pro Cluentio c. 45: „non utar, inquit, exemplorum copia, quae summa est, non rem veterem, non hominem potentem aliquem aut gratiosum proferam.

Nuper hominem tenuem, scribam aedilicium, D. Matrinium, quum defendissem rel.“, quem quidem locum falso intellexit Trotzius. Is enim in illo libro, quem jam saepe commemoravi, (p. 462) haec annotavit: „quasi et inter primarios reipublicae viros tenues et pauperes non fuissent reperti; illi si viles ideo sint reputandi, vel clarissimae genti Hortensiae ad supremam paupertatem delapsae status quaestionem movebit Pitiscus.“ Censet igitur is illo loco referre Ciceronem vocabulum tenuis ad possessionum atque rei familiaris inopiam. Sed ea quae antecedunt, quibuscum illa verba ita cohaerent, ut ex his tantum recte intelligatur, quid illa significent, si diligentius perspexisset, necessario futurum puto fuisse, ut aliter de ea re judicaret. Namque potenti ac gratioso homini quum a Cicerone illo loco tenuis aliquis opponatur, vocabulum tenuis facile est ad intelligendum significare non eum, qui re familiari atque facultatibus, sed solum eum, qui auctoritate careat et gratia.

At sunt, qui magnam olim in scribis fuisse auctoritatem dicant. Quo in numero est Trotzius, qui quidem p. 460 haec annotavit: „hinc — Plutarchi dicit vit. Caton. min. c. 16 — fluit prono alveo olim multa potentia in ipso senatu et curia gavisos fuisse scribas: non enim ad sequentia, ubi rationes exponit, quibus aerarium in integrum restituit Cato, illa verba sunt referenda: quippe quae nihil pertinent ad curiam; sed ad scribarum obedientiam et ad tabulas actaque publica, quibus jam suo, non pro scribarum arbitrio utebatur Cato. Sequitur etiam hinc, in ipsa curia fuisse scribas a quaestoriis scribis distinctos, qui et ipsi magna auctoritate fuere usi: hoc enim indicare videntur verba: „*τὸ ταμιεῖον τοῦ βουλευτηρίου σεμνότερον.*“ et p. 456: „docet nos interim pulcherrimus hic locus scribas fuisse apud Romanos pariter ut apud Graecos in pretio (cf. contra Cornel. Nep. v. Eumen. c. 1., ubi haec sunt: „itaque eum habuit ad manum scribae loco, quod m u l t o apud Grajos honorificentius est quam apud Romanos.“) duas ob causas, primo, quia acta publica et leges perpetuo tractabant, secundo, quia imperiti erant quaestores vicaria doctrina indigentes.“ Sed ea minus recte conjecit. Nam scribae, quum perpetuo in officiis suis retinerentur atque in negotiis suis essent occupati ob eamque causam rerum gerendarum solerent esse peritissimi, quamquam facile fieri potuit, ut magistratibus suis, quippe qui per singulos solerent annos in magistratu esse, praecipue iis, qui non ipsi cum diligentia aut vigilantia aut severitate res suas gererent, ita apparerent, ut eorum magis arbitrio, quam jussu et mandatu magistratuum res publicae administrarentur: injuria tamen et improbe id factum esse nobis quidem quum persuasum sit, tantum abest, ut auctoritatis quidquam iis publice quasi datum fuisse concedamus, ut contra, quae in iis fuerit auctoritas, eam non jure in iis fuisse, sed assumpsisse sibi ipsos eam inanis arrogantiae causa dicamus. Sed conferamus, quae sunt apud Plutarch. in vit. Caton. min. c. 16: „*οἱ διὰ χειρὸς ἀεὶ τὰ δημόσια γράμματα καὶ τοὺς νόμους ἔχοντες εἶτα νέους ἄρχοντας παραλαμβάνοντες δι᾽ ἀπειρίαν καὶ ἄγνοιαν ἀτεχνῶς διδασκάλων ἑτέρων καὶ παιδαγωγῶν δεομένους οὐχ ὑφίεντο τῆς ἐξουσίας ἐκείνοις, ἀλλ᾽ ἦσαν ἄρχοντες αὐτοί· μέχρις οὗ Κάτων ὑπηρέταις, ὅπερ ἦσαν, ἠξίου χρῆσθαι τοῖς γραμματεῦσι.*“ Ex hoc loco interesse cernimus permultum, utrum proprio quodam jure ordo aliquis aliquid habeat suum, an aliquo casu aut fortuna acceperit aut injuria sibi assumpserit. Arrogantes vero fuisse et insolentes illos scribas, de quibus est locus ille Plutarch., ex his verbis patet: „*ὡς δ᾽ ἦσαν ἰταμοί κτλ.*“ Plane denique sententia nostra iis confirmatur verbis, quae in cap. 17 leguntur. Ea autem haec sunt: „*οὕτω δὲ τοὺς γραμματεῖς ταπεινώσας καὶ ποιήσας ὑποχειρίους καὶ τοῖς γράμμασιν, ὡς αὐτὸς ἐβούλετο, χρώμενος.*“ Nam *ταπεινοῦν*, qua est significatione, is dicitur, qui arrogantiam alicujus atque insolentiam deprimit et coercet. Scribarum igitur etiam tum statum fuisse constat apparitorum sive *ὑποχειρίων*, qui Graece appellantur. Falso porro universos a Catone coercitos esse scribas videtur Trotz. censere, quum dicit pp. 460 sq.: „Cato itaque primus fuit, qui scribas

in ordinem coëgit et ex eo tempore mansit quidem conditio illorum honesta, non vero honorifica.“ et p. 461: „videtur ergo sensim instar alluvionis iterum crevisse auctoritas illorum adeo ut tempore imperatorum passim ab auctoribus, seu viri honoratissimi, inter illustriores reponantur.“ Quid enim? Paucis quae dicuntur contigisse, ut ea non licet ad universos, qui ejusdem sunt ordinis, referri, nonne sic item hic maxime cavendum est, ne in totum scribarum ordinem invectum esse Catonem temere arbitremur?

Est denique apud eundem Plutarchum locus, quem Trotz. ad suam defendendam sententiam adhibuit. Plutarchus enim in cap. 17 hoc narrat: „*οὕτω δὲ τοὺς γραμματεῖς ταπεινώσας . . . ὀλίγῳ χρόνῳ τὸ ταμιεῖον ἀπέδειξε τοῦ βουλευτηρίου σεμνότερον.*“ Quo quidem nisus loco, ut supra dixi, Trotz. p. 460: „olim, inquit, multa potentia in ipso senatu et curia gavisos fuisse scribas . . . in ipsa curia fuisse scribas a quaestoriis scribis distinctos, qui et ipsi magna auctoritate fuere usi. Hoc enim indicare videntur verba *τὸ ταμιεῖον τοῦ βουλευτηρίου σεμνότερον.*“ Sed hoc est non interpretari, sed sua cogitata, quamvis sint a scriptoribus ipsis aliena, verbis eorum subjicere. Quae enim in verbis illis Plutarchi est sententia, ea sine dubio haec est. Cato, vir ille probissimus et gravissimus, quum non solum summa cum severitate et diligentia et sanctitate magistratum gessit, sed etiam gesto magistratu omnem in aerario publico custodiendo posuit curam, id quod confirmatur in cap. 18 his verbis: „*οὐ μὴν οὐδ᾽ ἀπαλλαγεὶς τῆς ταμιείας ἀφῆκε τῆς φρουρᾶς ἔρημον τὸ ταμιεῖον κτλ.*“, ceteros magistratus omnes praeclare edocuit ad reipublicae salutem maxime interesse in aerarium publicum custodiendum summa cura ac studio incumbi eoque nihil esse dignius, ad quod observandum omnis adhiberetur cura, diligentia, vigilantia; nam principes civitatis si rerum gerendarum periti essent et diligentes et religiosi et strenui, futurum esse profecto, ut quum aerarii apparitores, tum scribae quaestorii sanctissimos homines et innocentissimos et modestissimos se praeberent. Quare haud scio an factum sit, ut quaestura aliquamdiu honori esset eximio: quamquam ea res indiget approbationis: non enim perspicua est neque ullo modo constat. Obscuritatis vero habent aliquid interpretationemque permittunt fortasse vagam et liberam et late patentem ea verba, quae Plutarch. illis annectit: „*ὡς καὶ λέγειν καὶ φρονεῖν ἅπαντας, ὅτι Κάτων ὑπατείας ἀξίωμα τῇ ταμιείᾳ περιέθηκε.*“

Verum etiam iis scribis, qui ceteris apparuerunt magistratibus, quum etiam in horum numero certe essent, qui neque rerum gerendarum periti essent neque religiose apparitores custodirent, ne quid ii improbe agerent, suo arbitratu rerum administrandarum atque adeo fraudum committendarum fuit opportunitas. Quam ob causam Cicero de legg. III, 20: „sic, inquit, animadverto, quosque in magistratibus ignoratione juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint“; et paulo ante: „legum custodiam nullam habemus. Itaque hae leges sunt, quas apparitores nostri volunt.“

Postremo fuisse in scribarum ordine, qui arrogantia et jactantia quadam ducti altiore esse dignitatis gradu consoliti essent se putare et dicere tradit Cicero, quum in Verr. III, 79: „quum decuriam, inquit, emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt.“ Quo eodem spectant ea verba, quae exstant apud Horat. in satir. I, 5, 66 sq.:

. . scriba quod esset,
Deterius nihilo dominae jus esse rel.,

ubi quidem crimini constat datum esse isti Sarmento, quod, quum in scribarum ordinem venisset, ad altiorem et ampliorem dignitatis gradum elatum esse se putaret: cf. schol. ad Juvenal. satir. V, 3 „Sarmentus plurimis forma et urbanitate promeritis eo fiduciae venit, ut [per] equitem Romanum (Pithoeus. *pro*) ageret: decuriam quoque quaestoriam compararet. Quare per ludos, qui ibi primus XIIII ordinibus sedit, haec a populo in eum dicta sunt:

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.
Digna dignis. Sic Sarmentus habeat crassas compedes.
Rustici ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.

cf. etiam schol. ad Horat. satir. I, 5, 35.

His vero, quae enarravi, satis luculente demonstravisse mihi quidem videor, auctoritatem quidem in scribis fuisse omnino nullam, sed, si qui speciem quandam auctoritatis habuisse viderentur, eos eam injuria aut casu aliquo habuisse. Quae quum ita sint, sequitur ut inquiramus, concessumne fuerit necne, ut scribae ad honores pervenirent magistratusque gererent.

§. 3.

Assentiri nullo modo possumus iis, quae Trotz. p. 464 profert et profert ita, ut ne ullum quidem verbis suis modum faciat aut finem. Etenim „constat, inquit, interim honestum et hunc fuisse ordinem et tribunis aerariis proximum, quod jam ostendit Car. Sigonius de antiquo jure civium Roman. lib. II. c. 9. exque iis aediles consules et praetores subinde electos fuisse.“ Inveniuntur nonnulli quidem apud veteres scriptores loci, qui ut hoc aut simile aliquid proponatur, perfacile efficiant; sed quae illi loci ob certas aliquot causas et inaudita quasi ac nova ratione facta esse tradunt, ea solita esse fieri videtur Trotz. putare; itaque perpaucis quae prospera quadam fortuna contigerunt, contigisse ea universis, qui ejusdem fuerint ordinis, minus recte censet. Jam vero, quid nos de ea re censeamus, ut melius patefaciamus, singillatim necesse videtur illos locos accuratius perspectos breviter exponere. Tres autem omnino sunt loci a veteribus scriptoribus nobis traditi, quos ad explicandam eam rem adhiberi licet: quorum quidem primus est apud Livium. Is enim in lib. IX. c. 46 narrat haec. „Eodem anno Cn. Flavius, Cn. filius scriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir et facundus, aedilis curulis fuit. Invenio in quibusdam annalibus, quum appareret aedilibus, fierique se pro tribu aedilem videret, neque accipi nomen, quia scriptum faceret: tabulam posuisse et jurasse se scriptum non facturum. Quem aliquanto ante desiisse scriptum facere arguit Macer Licinus, tribunatu ante gesto triumviratibusque, nocturno altero, altero coloniae deducendae. Ceterum (id quod haud discrepat) contumacia adversus contemnentes humilitatem suam nobiles certavit: civile jus, repositum in penetralibus pontificum, evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur. . . . Ceterum Flavium dixerat aedilem forensis factio, Ap. Claudii censura vires nacta, qui senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat.“ Duos igitur Livius in his enarrandis sequutus est auctores nec eos inter sese de omnibus satis consentientes. Quorum alter, Macer Licinus, Flavium aliquanto ante quam aedilis factus esset, tribunatum gessisse arguit, alter, annales dico, quorum Livius mentionem facit, illum, quum appareret aedilibus fierique se pro tribu aedilem videret, tabulam posuisse i. e. tabula posita statim aedilem esse factum tradiderunt. Quos tamen duos Livii auctores nec eos consentientes permulti, qui de ea re scripserunt, quod in unum confuderunt, effectum est, ut vera cum falsis confunderent. Fuerunt porro, qui propterea, quod apud Livium esset hoc: „arguit Macer Licinus tribunatu ante gesto triumviratibusque“, tum demum Flavium illum, quum tribunatu et aedilitate perfunctus esset, jurisconsultorum sapientiam compilasse atque singulis diebus cognoscendos ediscendosque fastos populo Romano proposuisse statuerent. Quapropter etiam Trotz. p. 450: „sunt, inquit, qui ante publicationem formularum tribunatum et aedilitatem gessisse Flavium conjiciunt propter verba Livii *arguit* rel.“ Sed profecto non est ita. Sic enim si se res habuisset, nihil certe fuisset causae, cur scribam istum Flavium populus Romanus tantopere studeret facere tribunum: neque vero, si non antea fastis illis prolatis actionibusque compositis de

populo optime meritus fuisset, (cf. Mommsen. Röm. Alt. p. 265.) unquam, puto, evenisset, ut sine ulla commendatione famae ad aedilitatis gradum efferretur: nisi forte temere aut casu quodam tantis eum honoribus a populo ornatum esse dicimus. Nec vero est, quod in illo tempore melius factum sit aut magis fuerit idoneum, quo quis sibi populi gratiam conciliaret, quam ea rès quam Flavius gessit. Qui quidem, ut ne a pontificibus prohiberetur fastos ediscendos populo proponere, efficere facile potuit propterea, quod et a populo forensique quadam factione maxime adjuvabatur et Appio Claudio utebatur patrono. Deinde, quae sunt apud Livium, verba dico „ceterum contumacia adversus contemnentes humilitatem suam nobiles“ non solum ad illud tempus, quo tribunatu et aedilitate functus sit, sed, quum perpetuo adversus nobilium superbiam fastidiumque certaverit, ad totam fere ejus vitam sine dubio referenda esse vel ex eo perspicitur, quod Livius usus est participio praesentis „*contemnentes*“: qua verbi forma certe usus non esset, si hanc propositurus fuisset sententiam, Flavium propterea adversus nobiles certavisse atque fastos edidisse, quod, quum aedilitatem peteret, illi se contempsissent ac repulissent. Quo accedit, quod ex iis rebus omnibus, quae a Cn. Flavio adversus nobiles gestae satis contumaciter sunt, editio fastorum a Livio princeps nominatur. Plane denique id, quod proposui, ab aliis confirmatur scriptoribus, qui Flavium, quum scriba esset, illas actiones edidisse tradunt et quos, quae tradiderint, non necesse videtur esse ea ex Livii verbis hausisse existimemus. Quo quidem in numero habendus est Cicero, qui in orat. pro Muren. c. XI. extr. „inventus est, inquit, scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit et singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit et ab ipsis cautis jureconsultis eorum sapientiam compilarit.“ Cf. etiam ejusd. epist. ad Attic. VI, 1, ubi hoc est: „nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavium *scribam* fastos protulisse actionesque composuisse“; de orat. I, 41. Plin. Hist. N. XXX. c. 1. Valer. Maxim. II, c. 1. Gell. Noctt. Att. VI, c. 9. Quam eandem ob causam etiam Pomponius in L. 2 §. 7. D. de orig jur. haec scripsit. „Postea quum Appius Claudius et ad formam redegisset has actiones: Gn. Flavius, scriba ejus, libertini filius, surreptum librum populo tradidit. Et adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, senator ac aedilis: hic liber, qui actiones continet, appellatur jus Flavianum.“

Statim vero tabula posita Flavium aedilem esse factum, ut annales quidam auctore Livio tradiderunt, hoc non concedimus propterea, quod et ceteri scriptores, qui tabula posita primum triumviratus, nocturnum alterum, alterum coloniae deducendae, deinde tribunatum, tum aedilitatem gessisse eum perhibuerunt, propius videntur ad veritatem et ad veterem forensem consuetudinem accessisse, neque comprobari omnino potest aut confirmari, esse unquam nullo gesto magistratu minore aedilem quemquam a populo Romano factum.

Jam vero iis, quae hactenus sunt exposita, caute diligenterque inter sese comparatis atque expensis, haec fere sit, qua res se exceperunt, ratio. Cn. Flavius scriba, callidus vir, ut ait Livius, et facundus, quum fastis prolatis summam a populo inisset gratiam, tabula posita ab eo potestate tribunicia donatus atque adeo aedilis curulis factus est. Quare autem factum sit, ut nobilibus maxime repugnantibus et resistentibus aedilis tamen crearetur, Livius ipse diserte atque clare exponit. Is enim auctore adjutriceque forensi quadam factione, Appii Claudii censura vires nacta, aedilem narrat illum esse factum. Ergo incidit ea res in illa tempora, quibus de plebe homines, quum ad omnes fere honores aditus iis jam esset patefactus, adversus nobilium, quippe qui ira incensi justo magis tum plebi humilitatem objicerent eamque contemnerent, superbiam atque fastidium summa cum pertinacia atque constantia certabant omnibusque nitebantur viribus, ut nobilium et superbiam opprimerent et auctoritati obtrectarent. Cf. Mommsen. Röm. Gesch. I. cap. 3 (ed. II.) Atque Cn. Flavii praecipue tempore hominibus humilibus, ut narrat Livius, per omnes tribus divisis forum et

campus corruptus est: quin vel tantum habuerunt Cn. Flavii comitia indignitatis, ut plerique nobilium anulos aureos et phaleras deponerent atque ex eo tempore in duas discederet partes civitas. Cf. Liv. IX, c. 46 extr. Neque tamen per longum tempus hae discordiae reipublicaeque perturbatio mansit. Namque paulo post auctore eodem Livio Fabius censor, ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quattuor tribus conjecit. In illo igitur tempore quamquam unum ex scribarum ordine eumque callidum virum ac facundum a populo aedilem esse factum vidimus: prorsus tamen, qua is re et qua ratione factus sit, si accuratius expenderimus, omnibus ob eam causam patuisse ejusmodi magistratum scribis putare prohibemur. Nam plane contra morem consuetudinemque civilem rem illam gestam esse satis mihi videor habere perspectum.

Alter locus reperitur apud Ciceronem in eo libro, qui est de officiis, ubi II. c. 8 hoc est: „alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus.“ Dictus est autem hic a Cicerone scriba Cornelius, cliens L. Sullae, homo ignobilis, ut recte annotavit Zumptius ad h. l. Sed hic quoque scriba ut quaesturam adipisceretur, temporibus evenit miserrimis ac perditissimis, quibus quidem quum unus vel pauci rerum potiti essent iique ad suam ipsi magis libidinem, quam ad auctoritatem legum rem publicam administrarent atque adeo ordinem perturbarent, omnia fere majorum instituta corrupta jacebant atque permultae res contra leges a majoribus sanctas et contra consuetudinem civilem gestae sunt. Eo igitur quum res statu essent, minime mirum, si Cornelio illi scribae a Sulla quaestura, id quod ita fuisse plurimum profecto interest, praemio data est. Hoc autem inesse videtur in his verbis Ciceron.: „ex quo debet intelligi, talibus praemiis propositis nunquam defutura bella civilia.“ Vid. Cic. de offic. II, c. 8. Cujus ejusdem mentio fit Cornelii in Sallust. historiar. fragment. lib. I. orat. Lepid. consulis, ubi haec leguntur. „Verum ergo seditiosus, uti Sulla ait, qui praemia turbarum queror et bellum cupiens, qui jura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Veltius Picens et scriba Cornelius aliena bene parata prodegerint rel.“ Ergo summorum qui censent honorum adipiscendorum potestatem scribis fuisse publice concessam, ii illum locum ad suam sententiam comprobandam adhibere ipsa rerum natura plane prohibentur.

Tertius denique locus exstat apud Livium in lib. XLI, c. 26 et lib. XLII, c. 1. Is enim Cicerejum quendam, qui P. Africani scriba fuisset, quum una cum ejus filio sive L. sive Cn. Cornelio Scipione praeturam petens sua sponte huic locum concessisset, sequenti anno praeturam gessisse tradidit. Sed ipsum Livium audiamus enarrantem illam rem his verbis: „Praetoriis comitiis fortuna inter ceteros candidatos P. Africani filium L. Cornelium Scipionem, sive is Cnaeus fuit, non sine magna invidia in certamen conjecit cum C. Cicerejo, qui patris ejus scriba fuerat; nam adeo a patris virtutibus degenerasse visus est, ut omnium centuriarum suffragiis ei Cicerejus anteferretur, nisi hic sive fortunae crimen, sive comitiorum errorem modestia sua emendavisset. In hoc campestri certamine patroni sui filium vincere non sustinuit abjectaque statim candida toga ex competitore de victoria certo gratus cliens et competitoris sui suffragator factus est.“ Deinde in lib. XLII. c. 1: „praetores, inquit Livius, deinde provincias sortiti sunt . . . Cn. Cicerejus Sardiniam.“, quibus locis addi licet Valer. Maxim. dict. fact. m. lib. III, c. 5. et lib. IV, c. 5, ubi haec leguntur. „Nos autem ad praeclarum verecundiae transgrediamur. Magna cum invidia fortuna praetoriis comitiis Africani superioris filium Cn. Scipionem et scribam Cicerejum in campum deduxerat . . . Nec minimum est verecundiae pretium. Scipio tunc honorem adeptus est: Cicerejo tamen magis gratulati sunt.“ At vero ne hoc quidem more actum esse institutisque civilibus, multa sunt, quae aperte convincant. Nam primum Livius ipse dubitat, fortunaene crimine an comitiorum

errore id factum esse dicat. His autem verbis quid aliud dicit Livius nisi hoc, contra morem et consuetudinem gestam esse illam rem? Etenim dubitari non potest, quin comitiorum ille error, quem dicit Livius, in eo uno versatus sit, quod Scipioni, P. Africani filio, viro amplissima familia nato, quum is cum Cn. Cicerejo, viro humili loco nato, de praetura certaret, comitia Cicerejum, quamquam patris illius scriba fuerat, tamen anteposuerunt. Sed quaesiverit fortasse quispiam, quid? nonne propter hanc ipsam causam a populo ille scriba Scipioni antepositus est, quod Scipio, quum a patris virtutibus, ut ait Livius, degenerasset, in odio erat populo ob eamque rem huic placitum erat, ut Scipio praeturam petens a se repulsam ferret? At responderim ita non fuisse causam, cur Cicerejus, quum abjecta candida toga comitiorum errorem modestia sua emendasset, sequenti anno praeturam acciperet. Ex quo efficitur, ut alias propter causas necesse sit populum Romanum habuisse eum dignum, qui praeturam gereret. Quid vero? C. Cicerejum ipsum nonne hominem fuisse existimandum est et frugalissimum et modestissimum et probissimum, qui quum sine dubio diligenter et sedulo et prudenter suscepta munera expleret, majorem in dies sibi conciliaret rerum forensium scientiam atque prudentiam? Itaque facile profecto accidere potuit, ut Cicerejus, quum eximia virtute et maxima probitate ac prudentia ceteris excelleret, tabula posita adjutore fortasse ipso Scipione Africano ad complures honorum dignitatisque gradus efferretur. Quid enim? Nonne omnibus fere temporibus exstiterunt, qui vel humillimo illi quidem loco nati, magnis tamen ingeniis et eximiis virtutibus ac summa praediti constantia contra morem consuetudinemque vel summos assequerentur honores? Quam ad sententiam eo magis velim equidem inclinare, quod Cicereji temporibus et nobilium superbia jam satis depressa et discordiis, quae iis intercedebant cum plebejis, etsi non sublatis, imminutis tamen aliquantum ad omnes fere honores plebejis aditus jam fuit patefactus.

Cap. III.

De scribarum publicorum praemiis agitur.

Contra accidit saepenumero, ut praemiis donisque probissimum quemque scribam ac rerum gerendarum peritissimum sive populus sive magistratus afficerent. Sunt enim interdum aliquot magistratuum loco missi in colonias aut in municipia: ubi, prout aut reipublicae status aut officia postulaverunt, varia imposita iis sunt nomina: quae tamen omnia, quamquam ab urbana reipublicae administratione institutisque publicis plerumque petita in coloniarum municipiorumque usum translata sunt, non ex urbis Romae magistratuum norma ponderare aestimareque licet, sed, quibuscunque appellati illi sunt nominibus, magistratus minores vel extraordinarii ii semper habendi sunt. Quo in numero est is, qui a Livio XXIII, c. 19. commemoratus est praetor. Apud eum enim hoc legitur. „Ceteri incolumes Praeneste cum praetore suo Manicio (scriba is antea fuerat) redierunt.“ Praetor autem summum in ea urbe obtinebat locum: ac praetoris nomine, ut in aliis nonnullis municipiis, velut Aletrii, Capenae, Puteolis, sic Praeneste summos magistratus revera esse dictos sine dubio ex ipsa illius loci ratione apparet. Vide Orelli. ad Horat. satir. I, 5, 34, ubi haec leguntur verba:

„Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae
Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.“

quem ad. l. Acron. scholiast. annotavit: „Praetorem pro magistratu dixit h. e. duumviro.“

Intelligendus est autem praefectus juri dicundo, qui praefecti quotannis a praetore urbano suo loco jurisdictionis causa soliti sunt mitti in praefecturas. Vide Momms. Röm. Alterth. I. p. 648 sqq. Göttling. Röm. Staatsverf. p. 412. Klotz ad Cic. orat. III, p. 926. Quapropter joci causa Horatium illis verbis „Aufidio Lusco praetore rel.“ usum esse arbitror idque ob eam rem, quod Aufidium, hominem istum justo magis vanum ac gloriosum, quum verum praetorem atque, ut ita dicam, absolutum omnibus numeris et partibus se ipse putaret arrogantiusque se gereret, nomen praetoris sibi sumpsisse atque arrogavisse mihi quidem maxime videtur esse probabile. Quo accedit, quod eludendae ejusmodi vanitatis arrogantiaeque causa sic statim pergit Horatius: „insani ridentes praemia scribae“: quibus verbis per ludibrium contrarie adjectis totius hujus loci praeclare adaugetur vis et gravitas. Neque tamen assentiri ausus sim Heindorfio, qui vel publice superbia inflatum istum scribam sive in edictis sive alia ratione praetoris nomen sibi ipsum revera imposuisse censet: neque ad Wuestemànni inclino sententiam, qui hoc defendit, Fundis summum magistratum revera praetorem esse appellatum. Neque enim ad comprobandam hanc sententiam valet quidquam is, quem e Cic. orat. pro redit. in senat. c. 17. affert, locus, qui hic est: „Capuaene te putabas, in qua urbe domicilium quondam superbiae fuit, consulem esse, sicut eras eo tempore.“ Nam hic Piso quidam, qui Capuae duumvir fuerat, consul quidem Campanus a Cicerone vocatus est, sed quid? publicene consulis nomen propter ea verba nobis proponere licet summo magistratui Campano concessum fuisse, aut, ut concessum fuisset, propterea Fundis, quod oppidum auctore Festo (cf. Fest. v. praefectur.) praefectura erat, non municipium, summum conjicere magistratum appellatum esse praetorem? Cf. Orell. ad h. l. Quamquam ad nostram quaestionem nihil interest, publicene praetoris nomen ille praefectus juri dicundo concessum habuerit, an sibi ipse assumpserit. Vid. etiam Wolf. ad Cic. orat. post redit. in sen. §. 27. Quo eodem fortasse spectant ea quae in inscriptione quadam vetere inveniuntur verba LIBRARIVS I. D. i. e. librarius juri dicundo. Cf. Fabrett. syntagm. de colon. Traj. c. I. p. 37.

Deinde quinqueviratum scriba quidam gessisse traditur apud Horat. satir. II, 5, 55 sqq.:

plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

quem ad l. commentat. Cruquian. mirum in modum haec annotavit: „recocti dicuntur scribae, qui saepius cum proconsulibus ad provincias missi exercitatiores facti sunt usu ipso et frequentia; solent autem mitti quinqueviri, qui quum redissent, vendebant decurias suas et quinqueviri dicebantur rel.“ Contra consensus mihi intercedit cum Heindorfio, qui recoctum scribam hic eum dicit appellatum esse, qui mutato priore rerum statu et vitae condicione nova quadam indutus sit forma atque, ut ita dicam, iterum formatus fictusque sit. Nam hic quoque scriba, Coranus, quinqueviratu gesto et ad altiorem dignitatis gradum esse se elatum videtur existimasse et de dignitate sua praedicasse. Itaque „*ex*“, sicut aliis locis permultis, sic hoc certe loco significat, quo ex tempore aliquid factum sit aut fiat, ut „ex quinqueviro“ idem valeat atque „ex quo tempore quinqueviratum gessit“ id quod nos Germane dicere solemus: „seit sive nach Verwaltung des Quinquevirates.“ Cf. Heindorf. ad. h. l. Quem tamen locum alii aliter interpretati sunt; vid. Orell. Qui autem iste quinqueviratus fuerit, non constat. Frequentes enim iique maxime varii apud veteres scriptores inveniuntur quinqueviri, quo in numero sunt q. agrarii apud Liv. VI, 21; mensarii ad liberandum aere alieno populum apud eund. VII, 21; muris et turribus reficiendis XXV, 7: qui vigilias curabant XXXIX, 14. Alios commemoravit Heindorf. ad Horat. satir. II, 5, 55. Cf. etiam

Goerenz. ad Cic. Acad. II, 44; Pitisc. lex. antiq. v. quinquevir.; Sigonii de jur. pop. Rom. T. I. lib. II, c. 5; Mommsen. Röm. Alterth. I, p. 658 sq. Krahner. Röm. Antiq. I, p. 244.

Alio denique scribae affecti sunt praemio. Teste enim Cicerone factum est saepenumero, ut summi duces Romani scribas suos anulis aureis in contione donarent. Cf. Cic. Verr. III, c. 80, ubi hoc est: „saepe enim nostri imperatores, superatis hostibus, optime re publica gesta, scribas suos anulis aureis in contione donarunt.“ Quam tamen donandi potestatem Ciceronem ipsum ita definisse atque descripsisse, ut solis sanctissimis scribis iisdemque imperatorum judicio omnibus in rebus probatissimis eum honorem tributum esse professus sit, vel ex iis, quae ante leguntur et quae subsequuntur, satis perspicuum videtur esse. Leguntur enim aute in eadem illa oratione haec. „Tu ex pecunia publica H-S terdeciens scribam tuum permissu tuo quum abstulisse fateare . . . Hinc ille est anulus aureus, quo tu istum in contione donasti: quae tua donatio singulari impudentia nova Siculis omnibus mihi vero etiam incredibilis videbatur.“ Et paulo post sic pergit Cicero: „tu vero quibus rebus gestis, quo hoste superato, contionem donandi causa advocare ausus es?“ Nec tamen raro accidisse, ut a ducibus improbis improbi scribae anulis aureis donarentur, et per se intelligitur, et Verres, sceleratissimus iste homo et maxime nefarius, optimus est testis.

Jam vero restat, ut quaerendum esse videatur, solosne penes imperatores ea donandi potestas in libera republica fuerit necne? Hanc tamen quaestionem, quum perdifficilis sit et perobscura, absolvi propterea non posse libere profiteor, quod nihil de ea re, quod sciam, a veteribus scriptoribus accepimus. Contra imperatorum temporibus ab his scribas equo publico donatos esse ex inscriptionibus intelligitur, quarum nonnullae sunt apud Gruter. p. 174; 4, ut haec:

SCRIBA QVAESTORIVS SCRIBA AEDILICIVS DONATVS EQVO
PVB. AB. IMP. CAESARE TRAIANO HADRIANO AVGVSTO.

ibid. p. 267. n. 6.

D. M. M. ATINIO. AEL. F. PAL. PATERNO SCRIBAE AEDILI
CVRVLI HON. VSVS AB IMP. EQVO PVBLICO HONOR.
PRAET. CON. BRACHAR. AVGVSTAN. TRIB. MIL. LEG. X.

Imperatorum vero temporibus, maxime inferiorum, scribarum et vitae condicio et nomina sensim pedetemptimque commutata sunt: quod tamen mirandum nequaquam est, quoniam illis temporibus rerum civilium fere omnium novus exortus est status: ac tum demum haud scio an saepius factum sit, ut homines ex scribarum ordine ad altiores pervenirent dignitatis gradus ad majoresque ascenderent honores. Velut Flavius Vopiscus in vita Carini c. 8. hoc memoriae mandavit: „pessimum quemque elegit aut tenuit; praefectum urbi unum ex cancellariis suis fecit: quo foedius nec cogitari potuit aliquando nec dici.“ Quam vero Vopiscus narrat rem, eam turpissimam fuisse ac maxime inauditam hic ipse scriptor aperte dicit. Cf. quae interpretes, praecipue Casaubon. et Salmas., ad eum locum annotaverunt. Quin adeo summum imperium scribam quendam illa aetate affectasse et sibi assumpsisse traditum est a Themistio, qui in orat. VII: „*ὅτε θεοῖς*, inquit, *ἐχθρὸς ἄνθρωπος ἐν ὑπογραφέως ἀεὶ μοίρᾳ διαβιοὺς ἐκ τοῦ μέλανος καὶ τῆς καλαμῖδος ἐτόλμησεν, εἰς νοῦν ἐμβαλέσθαι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν, ὄλεθρος ἐξ ὀλέθρων, τυφὼν ἀτεχνῶς, ἐκ τοῦ Κιλικίου Κωρυκοῦ, ἐκ τῶν πνιγέων ἀναδύς. Καὶ μέτρον τὸ πανταχόθεν ἀδόκητον τῆς τόλμης ποιησάμενος ὁρμητήριον, ὑπὲρ τὸν Κρίξον ὑπὲρ τόν Σπάρτακον ἐθρασύνετο*“: quod quidem imperatoribus Valentiniano et Valente factum est. Qua de re plura enarravit Trotz. p. 474 sq. Cf. etiam Polleti histor. for. Rom. V, c. 12 in Polen. thesaur. antiq. Gr. et Rom. T. I.

p. 632 sqq. Nec vero necesse visum est nec nostro consilio consentaneum esse accuratius nos illam rerum Romanarum partem investigare ac perscrutari aut investigata fusius uberiusque enarrare. Sed unum hoc hic iterum ac tertio velim admonere, ut caveas quam maxime, ne, quod nonnullis contigerit casu aut fortuna, per leges id judices concessum fuisse omnibus.

§. 2.

Scribae publici mercede populi conducti sunt, ut ait Cicero in orat. Verr. III, c. 78 („tuus apparitor, i. e. scriba, parva mercede populi conductus." *) eaque iis a quaestoribus ex aerario publico soluta est. Cf. Plutarch. Caton. min. c. 16 extr.: *„οὐ μὴ ἐχρήσατό γε τῷ γραμματεῖ ὁ Κάτων οὐδὲ τὸν μισθὸν ἀπέδωκεν."* Quam tamen non ita magnam fuisse mercedem ex illis verbis Cicer. satis apparet: atque pro loco quidem suam quemque mercedem accepisse censeo, qua de re in alio capite disputabitur. Item Plinius in epist. IV, 12: „quid fieri, inquit, de salario vellet: parva, sed tamen quaestio." Cf. etiam inscriptionem veterem, quae est apud Gruterum p. 626:

> Q. VRB. QVEI AERARIVM PROVINCIAM OPTINEBIT EAM
> MERCEDEM DEFERTO QVAESTORQVE QVEI AERARIVM PROVINCIAM
> OPTINEBIT EAM PEQVNIAM EI SCRIBAE SCRIBEISQVE HEREDIVE
> EIVS SOLVITO IDQVE EI SINE FRAVDE SVA FACERE LICETO QVOD
> SINE MALO PEQVLATV FIAT OLLEISQVE HOMINIBVS EAM PEQVNIAM
> CAPERE LICETO.

Vid. Mommsen. Röm. Alterth. I. p. 634 sqq.

In provinciis autem qui scriptum fecerunt, iis non ab urbanis, sed a suis quaestoribus in provinciis soluta est merces. Ab illis autem hi pecunias accipere solebant. Cf. Cic. Verr. I, 13: „ne diutius teneam: pecuniam attributa, numerata est." c. 14: „accepi, inquit, (quaestor), vicies ducenta triginta quinque milia quadringentos X et septem nummos; dedi stipendio rel." III, 76. Vid. Mommsen. I. p. 640. Quae eadem imperatorum aetate fuit consuetudo. Itaque Plinius in epist. IV, 12 haec. „Quum in provinciam quaestor exisset scribamque, qui sorte obtigerat, ante legitimum salarii tempus amisisset, quod acceperat scribae daturus, intellexit et statuit subsidere apud se non oportere. Itaque reversus Caesarem, deinde Caesare auctore senatum consuluit, quid fieri de salario vellet." A qua autem re vocabuli salarii origo repetenda sit, docet Plinius in H. N. 31, 7, ubi haec inveniuntur verba: „sal honoribus etiam militiaeque interponitur: salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate", quem ad locum Harduin. annotavit haec: „salarii nomine proprie significabantur tribunorum militarium et ducum annona: forte quod nihil victui magis necessarium quam sal: vel quod salaria percipientes inde se alunt." Vid. etiam Pitisc. lex. antiq. v. salar.

Item denique in imperatorum tempora ea incidit inscriptio, quae invenitur apud Gruter. p. 647. n. 6, quae scribas etiam de pecuariis capere quodam tempore solitos fuisse tradit. Ea autem haec est:

> COMMODIS OMNIBVS ET PRAEDA
> DAMNATA QVAM TRIBVNVS OFFI-
> CIVM CANCELLARIVS ET SCRIBA
> DE PECVARIIS CAPERE CONSVEVE-
> RANT.

*) Vid. etiam Cornel. Nep. vit. Eum. c. 1, ubi haec sunt verba: „namque apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur."

Cap. IV.

De scribarum publicorum muneribus.

§. 1.

Primum eorum munus fuit res publice gestas in codicem sive in acta senatus referre ac senatus consulta perscribere. Cf. Cicer. or. pro Sull. c. 14 sq. Verr. II, 42. Cluent. c. 33. Sueton. Caesar. c. 20. Tiber. c. 73. Tacit. annal. V, 4. XV, 74. Dionys. Halic. *Ἀρχαιολ. Ῥωμ.* XI, 21. Vid. de act. sen. Bernhardy. Roem. Litterat. p. 74 (ed. 2.) Scribendis autem senatus consultis adesse solebant nonnulli senatores ac maxime ii quidem, quibus ea auctoribus facta erant. Quam ob causam primis eorum versibus scripta solent esse haec verba: „scribendo affuerunt rel." Ut scriptum est apud Ciceronem in epist. ad div. VIII, 8 §. 5: „S. C. auctoritas. Pridie Kal. Octob. in aede Apollinis scrib. affuerunt L. Domitius, Cn. F. Ahenobarbus rel."; cf. ibid. XII, 29: „quamquam erat nobis dictum, te existimare, alicui senatusconsulto, quod contra dignitatem fieret, scribendo Lamiam affuisse, qui omnino consulibus illis nunquam affuit scribendo." ibid. XV, 6: „res ipsa declarat tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse jucundum, quod scribendo affuisti. Haec enim senatusconsulta non ignoro ab amicissimis ejus, cujus de honore agitur, scribi solere." Vid. etiam Cic. de orat. III, 2, 5; orat. post redit. in sen. IV, 8. Ernest. clav. Cic. v. scribendi. In iis tantum senatusconsultis, quibus intercessum erat, senatorum nomina ascripta non sunt, ut docet Manut. de senat. Rom. c. 10. At vero sunt, quae huic rei vehementer repugnare videantur: ut est apud Ciceronem in orat. pro Sull. c. 14 extr. hic locus. „Itaque introductis in senatum indicibus, constitui senatores, qui omnia judicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. At quos viros? non solum summa virtute et fide, cujus generis in senatu facultas maxima, sed etiam quos sciebam memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi facillime, quae dicerentur, persequi posse." Atqui, ut dictum est, sic se res habet. De gravissima vero re quum in senatu agebatur, tum tantum ne ea pervulgaretur, non scribae, sed senatores ipsi ea, quae perscribenda esse videbantur, perscribebant. Cf. Capitol. Gord. 12. Vid. quae Trotz. p. 345 annotavit.

Item in senatu, id quod a Cicerone cons. introductum est, quae a senatoribus habebantur orationes, celeriter scribentes scribae interdum persecuti sunt. Cf. Plutarchi Caton. min. c. 23: *„τοῦτον μόνον, ὧν Κάτων εἶπε, διασώζεσθαί φασι τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος, ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτ' ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος."* Et Dionys. Halic. antiq. Rom. V, 8. p. 382 (edit. Sylburg.) in senatu recitasse eos epistolas narrat: *„ἀναγνωσθῆναι πρῶτον ἀμφοτέρας ὑπὸ τοῦ γραμματέως εἰς τὴν ἁπάντων τῶν παρόντων ἀκοήν"*; et ibid. 9, p. 384: *„Καὶ τὰς ἐπιστολὰς αὐτῶν ἀναγνῶναι τῷ γραμματεῖ κελεύσας."*

Deinde in tabulas publicas quaecunque erant referenda referebant ac formulas, leges, decreta, pericula perscribebant. Vid. Plut. vit. Caton. min. c. 16: *„οἱ διὰ χειρὸς ἀεὶ τὰ δημόσια γράμματα καὶ τοὺς νόμους ἔχοντες."* Cic. de legg. III, 20: „itaque hae leges sunt, quas apparitores nostri volunt." pro Flacc. 18, 43. Verr. III, 79: „est vero (ordo) honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur."

Pericula autem sunt libelli, in quibus decreta, pactiones, conventa aliave ejusmodi acta publica fide scribuntur, i. q. nos dicimus „Protocoll.“ Vid. Bosium ad Corn. Nep. Epam. c. 8. Salmas. mod. usur. c. 15. Barth. advers. lib. I, c, 1. Gothofred. ad Theodos. Cod. tit. de sententiis e periculis recitandis.

Tum in contione, quaecunque magistratus volebant certis verbis concepta pervulgari, ea de scripto scribae publice recitabant. Vid. Beroald. ad Apulej. lib. IX.

Quaestionibus denique ac judiciis ita apparebant, ut ex codice edicta recitarent. Cf. Cic. or. Verr. III, c. 10: „Da, quaeso, scribae; recitet ex codice. Recita edictum de professione,“ pro Cluent. c. 53: „quid sibi autem illi scribae, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quaestioni video, volunt?“ Dionys. Halic. V. 8. 9. Vid. Pauly. Real-Encyclop. I. p. 52. v. actorum.

Postremo in tabulas publicas accepta et expensa referebant: qui quidem scribae omnium erant plurimi et scribae quaestorii nominabantur. Cf. Cic. Verr. I, 21: „quae signa atque ornamenta . . . . in tabulas publicas ad aerarium perscribenda curavit,“ ibid. I, 13. 14. III, 76. Cic. ad divers. V, 20. orat. pro dom. c. 28.; in Pison. c. 25, 61, ubi haec leguntur verba. „Rationes ita sunt perscriptae scite et litterate, ut scriba ad aerarium, qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse caput perfricans commurmuratus sit: ratio quidem hercle apparet, argentum *οἴχεται*.“ Erat igitur eorum scribarum, qui ad aerarium scriptum faciebant, rationes ab iis, qui in provinciis apparebant, perscriptas spectare et perlustrare.

§. 2.

Praeter haec autem, quae publice explenda erant, munera scribae publici subsecivis quibusdam temporibus, quae incurrebant, quaestus faciendi causa etiam alia quaedam negotia videntur suscepisse ac transegisse. Quod tametsi non promiscue de omnibus nec scribis nec temporibus audemus dicere, quaestorios tamen scribas imperatorum temporibus solitos fuisse negotiari aperte dictum est a Suetonio in vit. Domit. c. 9, ubi haec leguntur verba. „Scribas quaestorios negociantes ex consuetudine, sed contra legem Clodiam, venia in praeteritum donavit.“ Quaerendum est autem hic, quae lex Clodia intelligenda sit. Omnes Suetonii interpretes, a quibus quidem ad eum locum annotata legerim, referunt ea verba ad legem illam a Q. Claudio tribuno latam, qua edictum est, ne quis senator ulla re quaestum faceret. Quam legem memoriae prodidit Livius in lib. XXI, c. 63, quum dicit: „invisus etiam patribus ob novam legem, quam Q. Claudius tribunus plebis adversus senatum, uno patrum adjuvante C. Flaminio, tulerat, ne quis senator cuive senatorius pater fuisset, maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos; quaestus omnis patribus indecorus visus.“ Quodsi hanc legem proprie vereque in senatores latam esse intelligimus, eam etiam in scribas, quippe quos nunquam ne per breve quidem tempus in senatorium ordinem relatos esse constet, fieri nullo modo potest, ut valuisse recte statuamus. Itaque duae obscuri ac perdifficilis illius loci explanandi, quae iniri possunt, rationes restant. Altera quidem haec est, ut majorem ac latius patentem vim inferiore aetate eidem illi legi subjectam esse dicamus, ut vel scribae quaestorii, (quamquam eorum nemo ne illa quidem aetate in senatorum erat numero) negotiari eadem lege vetarentur: altera in eo versatur, ut eam legem, cujus Suetonius faciat mentionem, ab imperatore demum Claudio latam esse conjiciamus. Quae quidem conjectura eo etiam magis videtur fieri probabilis, quod eundem imperatorem Claudium alia aliquot decreta de rebus ad aerarium spectantibus fecisse narratum est ab Suetonio in vit. Claud. c. 24 et ab Tacito in annal. XIII,

c. 29. Sed utramcunque sententiam ad veritatis similitudinem arbitramur propensiorem, hoc tamen equidem pro certo habeo, imperatorum demum aetate illam legem quum in scribas tum in scribas quaestorios valuisse. Nam, ut supra dixi, jam inde ab imperatoris Augusti temporibus nonnunquam factum est, ut non solum scribae ab iis equis publicis donarentur*), sed etiam ipsi quidam equites in scribendi munere essent occupati.**) Equitibus autem, ut negotiarentur ac quaestum sibi ex quibusdam rebus compararent, quum a civitate concessum esset, accidisse probabile est saepenumero, ut etiam ii equites, qui essent in scribarum et scribarum quaestoriorum numero, ad quaestum faciendum incumberent: quo eodem usu atque consuetudine postea vel eorum, qui ad equestrem non adscripti essent ordinem, scribarum fuisse aliquot, qui ut quaestum facerent perfacile adducerentur, res ipsa sine dubio declarat: quoad, ne qua alterum pecunia fraudandi, ut opinor, iis esset opportunitas aut omnino facultas, lege Clodia edictum est, ne quis scriba quaestorius amplius negotiaretur. Cf. Suetonii interpretes, maxime Pitisc., Bremi., Crus.; et Ernest. clav. Cic.

Affuisse etiam in judicio scribam quaestorium quendam ab eodem Suetonio traditum est. Vid. ejus vit. Claud. c. 38, ubi haec sunt verba. „Item scribam quaestorium itemque praetura functum senatorem inauditos et innoxios relegavit: quod ille adversus privatum se intemperantius affuisset: hic rel.“ Adesse autem idem esse, quod sit advocati sive causidici agere partes clare docet Baumg. Crus. ad Sueton. vit. in ind. lat. v. „adesse.“ Sed concessumne scribis fuerit, ut hoc officiorum genus susciperent, an solam unam ad illam causam id, quod a Suetonio narretur, sit referendum, et si quando concessum fuerit, qui potissimum fuerint, qui de eo ordine ejusmodi officia sustinerent et procurarent, parum, quod sciam, adhuc apertum est atque perspicuum. Sed utcunque fuit, non licet disputari in Trotzii sententiam, qui de ea re sic explicavit (p. 461.). „Scribam quaestorium et senatorem eodem fere honoris gradu metitur Suetonius . . . . Oportet ergo non simplex fuerit scriba, sed vir gravis rerumque forensium peritus.“ Nam quamvis ille scriba fuerit rerum forensium peritus, sicuti fuit, tamen Trotzio, nisi temere in eo nisus esset, quod ille una cum senatore aliquo a Suetonio nominatus esset, nunquam sine dubio ea conjectura in mentem venisset.

§. 3.

Quum igitur tot tantaeque res, quarum nonnullas cernimus fuisse vel gravissimas, a civitate scribarum fidei commissae essent, hos, occasione oblata ne fraudibus aut fallaciis facerent injurias, summa profecto diligentia atque assidua vigilantia a singulis magistratibus necesse fuit observari atque custodiri. Nam magistratus ipsi, non eorum apparitores, scribae, earum rerum omnium, quae a scribis erant perscriptae, populo rationem reddere debebant. Vid. Mommsen. R. A. p. 522. Krahner. Röm. Antiq. p. 196. Cf. etiam Cic. Verr. III, 78 sqq. Itaque factum est, ut qui sanctitate et justitia et probitate praediti essent magistratus, ii cante et severe scribas custodirent atque coercerent: qualis fuisse magistratus traditur Cato minor. Cf. Plutarch. Cat. min. c. 16: „*ἐπιβάλλουσαν δ᾽ αὐτῷ τὴν ταμιευτικὴν ἀρχὴν οὐ πρότερον μετῆλθεν, ἢ τούς τε νόμους ἀναγνῶναι τοὺς ταμιευτικοὺς καὶ διαπυθέσθαι τῶν ἐμπείρων ἕκαστα, καὶ τύπῳ τινὶ τῆς ἀρχῆς τὴν δύναμιν περιλαβεῖν.*“ et paulo post: „*μέχρις οὗ Κάτων ἐπιστὰς … οὐκ ὄνομα καὶ τιμὴν ἄρχοντος, ἀλλὰ καὶ νοῦν καὶ φρόνημα καὶ λόγον, ὑπηρέταις, ὅπερ ἦσαν, ἠξίου χρῆσθαι τοῖς γραμματεῦσι, τὰ μὲν ἐξελέγχων κακουργοῦντας αὐτούς, τὰ δ᾽ ἁμαρτάνοντας ἀπειρίᾳ διδάσκων.*“ ibid. c. 17. Vid. etiam Cic. Verr. III, 78: „quid tui

*) vid. cap. III.
**) vid. cap. II. §. 2.

scribae fuerint, tu potes dicere: ego de meis hoc dico, quum in eadem ista Sicilia . . . . pecuniam solverem et mecum duos frugalissimos homines scribas haberem rel.“ Contra haud sane pauci profecto fuerunt magistratus, qui quum ipsi in rebus gerendis administrandisque non multam aut omnino nullam haberent scientiam neque ii essent, qui omnem in explendis rei publicae muneribus curam ponerent, scribis suis usi sic sunt, ut penes hos, non penes ipsos esse potestas videretur atque ipsi adeo in scribarum manu essent. Quam ob rem Cicero jure ille quidem magistratibus quibusdam id vitio vertit, quod affert de legg. III, 20 extr.: „sic animadverto quosque in magistratibus ignoratione juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint.“ Nec minus recte Plutarchus in vit. Caton. min. c. 16 haec. „*Οἱ (γραμματεῖς) νέους ἄρχοντας παραλαμβάνοντες, δι᾽ ἀπειρίαν καὶ ἄγνοιαν ἀτεχνῶς διδασκάλων ἑτέρων καὶ παιδαγωγῶν δεομένους, οὐχ ὑφίεντο τῆς ἐξουσίας ἐκείνοις, ἀλλ᾽ ἦσαν ἄρχοντες αὐτοί.*“ Neque vero ea, quae diximus, tolluntur eo, quod Cicero in Verr. III, 79: „eorum, inquit, hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur.“ Commissa sunt enim his quidem illa, sed eo consilio, ut in tabulas publicas referenda referrent et pericula perscriberent. Nec tamen haec sub verbo committendi subjecta est sententia, commissas scribis tabulas publicas periculaque solis ab iisdem scribis esse custodita. Quo accedit, quod scribarum ministerium custodiaque et tabularum cura suo proprio magistratui subjuncta fuerunt. Livius enim in lib. IV c. 8 haec„ Mentio inlata ab senatu est rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu egere, cui scribarum ministerium custodiaque*) et tabularum cura, cui arbitrium formulae censendi subjiceretur; et patres quamquam rem parvam, tamen quo plures patricii magistratus in re publica essent, laeti accepere rel.“. Inde igitur primum consules, deinde censores scribarum ministerio praefectos esse perspicitur. Is autem locus, in quo ut custodirentur tabulae publicae depositae erant, ad aerarium publicum situs erat et tabularium vocabatur. Cf. Serv. ad Virg. Aen.; Passarat. ad Cic. pro Sull. c. 15. Vide etiam Liv. 43, 16, ubi haec sunt verba. „Censores ex templo in atrium Libertatis ascenderunt et ibi signatis tabellis publicis clausoque tabulario et dimissis servis publicis negarunt se prius quidquam publici negotii gesturos, quam judicium populi de se factum esset.“ Caes. bell. civ. III, 108. Vid. Krahner. R. A. p. 40. Quam diu autem custodire tabularium fuerit censorum, hoc quidem non constat; sed quaestorii urbani simulatque aerario praepositi sunt, factum haud dubie est, ut etiam tabularium eorum custodia contineretur. Quamquam summa fortasse custodiendi tabularii potestas penes censores etiam tum erat. Tum Augustus curam aerarii a quaestoribus urbanis ad praetorios praetoresve transire jussit. Cf. Sueton. Aug. 36.**) Claudius denique quaestores iterum aerario praefecit. Postremo Nero viris praetura perfunctis aerarium custodiendum tradidit. Cf. Tacit. annal. XIII, 29, ubi haec leguntur verba. „Varie habita ac saepe immutata ejus rei forma. Nam Augustus permisit senatui deligere praefectos: deinde sorte ducebantur ex numero praetorum qui praeessent. Tunc Claudius quaestores rursus imposuit. Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit.“

§. 4.

Haec igitur sic instituta erant, ne scribae publici committerent ut fraude fallaciave obligarentur. Quapropter quum quis scriba occasione oblata fraudem intulisset, id quod haud raro fortasse accidit,***) magistratui ea maximam partem crimini erat.

*) Cf. quae Weissenborn. ad h. l. annotavit.
**) Contra vid. Tacit. annal. XIII, 29.
***) Vid. Krahner. R. A. p. 190: p. 192. an. 32.

**) Neque tamen est, cur disputemus in Zumptii, viri doctissimi, sententiam, qui in vita sua Horat. p. 14 sqq. scribis pignora populo magistratibusque danda fuisse conjicit. Ea enim conjectura ne ex eo quidem fieri potest, quod scriptus apud veteres venalis fuit. Nam Cicero quum Verr. III, 79 haec dicit: „ad eos me scribas revoca, si placet: noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum bonis ac de scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt.“, iis verbis clare dicere videtur interesse aliquid inter eos, qui juste et legitime, ne dicam honeste, scribarum ordini ascripti sint, et inter eos, qui decuriam emerint. Non licet igitur „*decuriam emere*“ sive „*scriptum comparare*“ (Sueton. vit. Horat.) sic interpretari, ut ea verba dicamus fere idem valere, ac fundum aliquem emere et eo quidem consilio, ut pignori is ab emptore civitati opponatur: nisi forte hoc arbitrari praestat, non omnes, sed certum scribarum genus fundum civitati pignori opposuisse. Quam qui defendit conjecturam, idem iis verbis eam subjicit notionem, quam apud veteres Romanos neque veteres grammatici iis subjectam fuisse tradiderunt neque simili dicendi quidquam genere comprobare possumus: nihil denique apud veteres scriptores exstat, quo ea conjectura ullo pacto confirmata nobis probetur. Quamquam enim mentio facta est scribarum aliquot, qui possessionibus praediti fuisse videantur, veluti a Livio XV, 29; et ab Horat. satir. II, 5, 55: audacioris tamen videtur hominis esse eos locos ad approbandam illam conjecturam adhibere. Qua de causa Zumptio ne de eo quidem loco assentior, qui est apud Horat. sat. II, 6, 36 sq.:

„De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti“;

quam quidem satiram quum composuerit, etiam tum Horatium in scribarum numero fuisse vir doctissimus ille censet. Huic enim primum verbum revertendi vehementissime repugnat, quum reverti haud dubie solus is dicatur, qui unde abiit, eo jam revertit. Quid vero? Horatium, unde quo ut reverteretur, a scribis oratum esse censemus? num ut ex praedio suo in urbem reverteretur? Minime vero. Haec enim sententia probabilis non videtur ob eam rem, quod quum jam in urbe versaretur, ab Horatio scribas illud petivisse constat. Itaque dubitandum non est, quin hoc ab Horatio petitum sit, ut ad conventum scribarum et consultationem, a quorum ordine paulo ante, ut opinor, se removerat, e domo Maecenatis reverteretur. Cf. quae Orelli. ad h. l. annotavit: „etenim post aciem Philippensem Horatius, quo se patrimonio maxima ex parte spoliatum sustentaret, scriptum quaestorium compararat; verum ab hoc quaesticulo, ut videtur, circiter a. u. c. 717 jam sese removerat.“ Paulo ante autem Horatium tabulam posuisse vel ex eo persuasum mihi quidem est intelligi, quod quum scribae in concilium auderent eum advocare, etiam tum societatis conjunctionisque aliqua necessitudo iis cum Horatio videtur intercessisse. Deinde Horatium non, ut decuriam emeret, immo vero, ne scribam amplius opus esset res ad vivendum necessarias sibi comparare, praedio a Maecenate donatum esse censeo. Itaque Horatius ibid. v. I. sqq.:

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus jugis aquae fons
Et paulum silvae super his foret.“

quae Horatium verba nego equidem dicturum fuisse unquam, si hoc consilio ei illud praedium donatum esset, ut decuriam emeret sive fundum populo pignori opponeret: sin vero ita donatum esset, quid fuisset causae, cur Maecenas septimo demum anno postquam junxerat cum Horatio amicitiam, ei praedium donaret? Sed nostra sententia multo etiam magis confirma-

tur eo, quod Horatius, quum praedio a Maecenate donatus esset, illi se totum dedit: qua eadem re sane factum est, ut novum quoddam genus et officiorum et molestiarum exoriretur. Nam qui, quidquid erat, a Maecenate volebant impetrare, ii quo facilius quod vellent obtinerent, priusquam a Maecenate ipso peterent, adire solebant Horatium, ut pro sese apud illum intercederet. Cf. Horat. sat. II, 6, 36 sq. Sed haec hactenus.

Dr. Krause.